



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXXII. Sigfridvs II. Elector XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

instar dimicare. Mortem igitur veriùs inter milites in Italia, quàm inter Sacerdotes in Germania oppetiit an. 1280. postquam an. 13 potius inter Cæsaris negotia, quàm sacra pasqua consumpsit, in-
vitis maximè Pontificibus Alexandro III. & Successoribus.

XXXII. SIGFRIDVS II. ELECTOR XVI.

Sigfridum II. ex Eppensteiniorem perillustri familia prognatum, pars altera Canonicorum Bingæ elegit, pars altera Lupoldum Wormatiensem Episcopum postulavit, & Philippus Cæsar exoptavit Moguntia Archipræsulem: unde nata discordia & bella; Sigfridum namque Innocentius III. Pontifex, Lupoldum verò Philippus Imperator propugnavit in pugnis, quin in velitationibus socium ferè perpetuum. Percussio demum año 1208. Philippo, Otto Imperator Lupoldum procul aris & focis Moguntinis removit exulem, ut rem gratam præstaret Pontifici. Profuit exulâsse Lupoldo: post edita enim pœnitentiæ signa, & exauthoratum Ottonem Cæsarem, Wormatiensi Ecclesiæ est restitutus, fortè ut pœnitentiam probè cœptam prosequeretur, horâ mortis exoptatissimam, quam jam anno 1212. obiit. Annis 13. superavit Lupoldum Sigfridus, qui Moguntinis præcipuè gratissimus, multa & magna gessit, sua autoritate haud mediocri, & Pontificis suprema potestate suffultus. Dolendum sanè, quòd Authores seculi XIII. multorum gesta summatim celebrent, nullum tamen facinus, laudandum etiam posteris, descripserint. Talis nimirum mos erat istius & aliorum seculorum: pugnare gladio plùs justo in deliciis erat; certare calamo curas fuit inter postremas. Annus vitæ ultimus Sigfridi inter años Christi numerabatur 1225. Pontifices imperârunt Innocentius III. & Honorius III.